


Lit. Graec. B
1591



456^b Medici Gr. 130^o

CL. GALENI PERGA-
MENI DE HUMORIBVS
liber, Iano Cornario Medico Physico
interprete.



IHENAE.

Excudebat Thomas Rebart.

Anno M.D. LVIII.

+ Honorabilissimo ac Doctissimo

Viro D. Iohanni Ramo

Medico Cohärensi Dno

456

CEL GALLENBACH
M. D. DE HANNOVER
1711

1711



THESE

Exhibet Thomas Reber
Anno M.D.CXIII

1711

DE. HUMORIBVS LI-
BER GALENI IANO COR-
nario Medico Physico interprete.



Quod in mundo est elementum, hoc in animan-
tibus est humor, quemadmodum sanè etiam in
tempore pars aliqua temporis; non tamen ut
penitus identitatem aut similitudinem inter se
habeant. Verum hæc quidem eadem sunt
agentibus & patientibus qualitatibus, quibus habent hoc ut
sint, & composita sunt, et principia eorum quæ in nobis sunt.
Differunt autem inter se, tum multis alijs, tum ipsis nominib. Nam
elementa quidem sunt, ex quib. mundus constat, aer, et ignis,
et aqua, et terra. Temporis autem partes sunt, ex quibus con-
stat tempus, uer, & æstas, & hyems, et autumnus. Humo-
res autem sunt, bilis, et sanguis, & pituita, et atra bilis, ex qui-
bus animalia & ipse homo constitutus est. At omnia hæc
humiditate, et caliditate, et siccitate, et frigiditate contempera-
ta sunt. Sanguis equidem, et aer, et uer quoque humida sunt &
calida, etiamsi alijs aliter, de uere uidetur. At bilis flaua, et
æstas, & ignis, calida sunt et sicca. Atra uero bilis, et ter-
ra, & autumnus, sicca sunt & frigida. Pituita autem &
aqua, & hyems, frigida sunt & humida. Uniuntur autem etiam
inter se humor, & elementum, & temporis pars, itemque
dissident; Aer enim & ignis dissident siccitate & humidi-
tate; Uniuntur autem caliditate. Ignis autem et terra, frigi-
ditate et caliditate dissident; Sicca autem penitus ambo sunt.

A ij Quemad

Quemadmodū terra et aqua frigida sunt, dissident autē sic siccitate et humiditate. Aqua uero et aër humida quidem sunt, caliditate autem et frigiditate differunt. Sic etiam humores et temporis partes conueniunt inter se et dissident, et mixtionē, quæ hostilis coniunctio appellatur, efficiunt. Coeterum elementa eadem penitus sunt, & unumquodq; in eodem loco manet, & mutua inter se mutatione conseruantur, & conueniente alimento quadam prouidentiae ratione nutriuntur. Et temporis partes similiter prout Sol ad Austrum et Aquilonem mouetur, et fiunt, & appellantur. At humores non similiter, neq; ijdem penitus sunt, sed inter se differunt, et loco, & colore, & facultate, & compage, & qualitate. Et mutari quidem humores necesse est: Quemadmodum etiam elementa inter se: Non tamen semper eundem mutationis modum seruare, neq; ex æquo ipsos augefcere, sed aliquibus à terreo ad aquosum ordine quodam, & ab hoc ad aëreum, à quo ad igneum fit mutatio, aliquibus autem citra ordinem à pituita in flauam bilem, et à sanguine in atram bilem. Testimonia uero huic sermōni præbent terreus & atrabiliaris sanguis, & salsa pituita, quæ prope accedit ad bilem, quæ glastri colorem habet, & facile in ipsam mutatur. Apparet autem etiā pituitosa bilis, et mucosa, itemq; sanguis huiusmodi, quemadmodum etiam in aquoso et malo habitu præditis uidemus. Sicut sane etiam in calidiorib. et siccioribus pura flaua bilis apparet: et ubi hi ipsi cruditate laborant, prasina bilis tum uomitu reddita, tum per aluum secedens uidetur. Proinde ad ordinem mutationum, etiam ordo prædominij procedit. Contra

Contra

Contra uero in his qui non secundū ordinem mutantur. Au-
gescit porro in alio alius alias humor, prout temperamento,
et tempore, et regione, et ætate, et uictu generatur: Quem
admodum in omnibus omnes certis circuitibus, & temporis
bus suis generantur et incrementum capiunt. Aestate enim
augescit bilis amara: Aestate uero, & temperamento,
& uictu consimili quam maxime. Insuper autem etiam a
rebus externis Nam & curæ, & iræ, & tristitiæ, et
labores, & exercitia, & uigiliæ, & inædiæ, et fimes, co-
piosicrem flauæ bilis humorem congregant: sicut sanè som-
ni, & aquæ potus, & marinorum ac humidiorum omnis-
um, et crassorum ac uiscosorum ciborum usus, pituitosum.
Carne autem et maxime uolucrum, et ouium, et omnia quæ
facile concoquuntur, et boni succi sunt, sanguineum, si
non aliqua proprietas transmutat id quod in cibo assumis-
tur. Similiter etiam atrabiliarium. Quin et complicato mo-
do, prout et quando complicatis utimur cibus, etiam humo-
res tales sequuntur. Augescit autem in adulescentulo qui-
dem sanguis: quapropter etiam gratiosi tales sunt, et circa
lusum iuueniliter affecti: In iuvene uero bilis, quæ ipsum
iracundum, et animosum, et amarulentum efficit: In decre-
scente ætate bilis atra. Pessimus hic humor est, et ubi concita-
tus fuerit, ægrè contineri et auerti potest, et suam ætatem mi-
seram, et malorum memorem et quodammodo incorrigibilem
efficit. At in sene augescit pituita. Pigra est hæc ætas, et
obliuiosa, et soporosa. Humida enim et frigida est, quem-
admodum decrescens sicca et frigida: et adolescentiæ ætas
A iij calida

A iij calida

calida & humida : & iuuenum ætas iuxta melioris humoris
proportionem, calida & sicca. At uero loci in quib. gene-
rantur & mansionem & motum habent, sanguinis quidem
sunt Hepar, & uenæ, & ambæ nares : Flaue uero bilis ues-
sacula, propria & circa Hepar, & per aures, uelut etiam
apparet : pituitæ autem stomachus, & lumbi, & per os.
Quemadmodum atræ bilis splen, & per oculos uelut dici-
tur. Cæterum colores humorum sunt, sanguinis quidem ru-
ber, pituitæ uero albus, flauæ autem bilis species septem
sunt : Quædam enim flaua est, quæ etiam elementaris dici-
tur : Quædam pallida : Quædam rubra : Quædam prasi-
na : Quædam uitellina : Quædam æruginosa : Quædam
glasti colorem referens. At atræ bilis oleosus color pro-
prius est, & hic qui dicitur ater siue niger. Est insuper etis-
am ad gustum sanguis dulcis, flua bilis amara, atra bilis ac-
cida. Sed pituita primario quidem qualitatis exors est. De-
inde salsa est, postea acida, & præterea dulcis. Sunt au-
tem etiam atræ bilis quatuor differentia : Quædam n. est
uelut fex quædam sanguinis : Quædam uero fit ex bile fla-
ua nimium assata : Quædam bituminosa est, eo quod instar
bituminis splendicat : Quædam sanguinea. Sunt præterea
& sanguis, & pituita, & bilis atra, compage crassa. Sed
flaua bilis tenuis est, & leuis, & sursum fertur, sicut alij
duo humores graues sunt. Sanguis autem medio modo se ha-
bet, eo quod particeps est caliditatis. Ita porro res se habet,
ut horum humorum tum æqualitate, tum moderatione, sanitas
delinetur. Si uero deficient ipsi, aut redundant magis quam
opus

opus est, aut quantitate, aut qualitate; aut locorum transmu-
tatione, aut complicatione inordinata, aut putrefactione
uiciati fuerint, morbi contingunt; Quemadmodum etiam dis-
citur morbos ex humorum immodestia oriri; Sicut etiam sa-
nitatem redire detractioe & appositione, & tenuitate &
crassitudine humorum; Et in summa iusto ipsorum tempera-
mento & moderatione. Sic enim optime dictum est ab Hip-
pocrate in VI. de morbis popul. Humores alios quidem
expellere, alios uere siccare, alios autem indere, & alia
quidem parte, alia uero non. Attenuare, crasse facere, cōtem-
perare. Nā iuxta causam affectionū sequentia auxilia sup-
peditat. Oportet n. humores exacte temperatos esse qualita-
te, & æquales quantitate, ut et sanitas permaneat, et quæ non
est, redeat. Vnde etiam appellationem apud Græcos conse-
cuti sunt, ut reuera χυμοί dicantur παρὰ τὸ χεῖρον ἄμα, eo
quod simul funduntur. Manifestum itaq; est, quod si hoc
est sanitas, quod non tale est, morbus fuerit, quemadmodū eti-
am ostensum est. Quandoquidem uero morbus genus est,
quod in diuersas species diuiditur, necesse est differentias a
quibusdam diuersis causis proficisci. Causæ uero sunt humo-
res, & symptomata. Et hæc quidem ab externis contingunt;
Illi uero dum incrementis & imminutionibus, & in ætatib.
& in temporis partib. & in uictus ratione, & in tempera-
mentis mutantur, uelut antea dictum est. Hoc autem et Hip-
pocrates significare uidetur, dum alios iuxta aliud tempus
florere, & in corporib. dominari humores dicit; Itemq; co-
lores diuersos hominib. esse tradit iuxta dominium humorum
qui

qui in temperamento prædominantur. Sed & morbos iuxta
redundantis humoris naturam fieri solere ait. Et sane etiam
in initio libri de humoribus, color inquit humorum, ubi non est
turbatio ipsorum, uelut florum, iuxta prædominium humorum
solet hominibus mutari in ætatum successione: quæ admodum sane eti-
am animæ mores. Nam humores efficiunt mores, et animam san-
guis quidem hilarior efficit: Flaua autem bilis iracundio-
rem, aut audacior, aut horrendam magis, aut etiã utrunquẽ.
Pituita uero segnior, et stolidior. Atra uero bilis irac-
undior et contumacior. Variantur item animæ mores
etiã in morbis, iuxta speciem redundantis humoris, uelut in ani-
mi percussionibus. Quæ enim ex ipsis ex sanguine sunt, cum cantu ac
risu accidunt. Quæ uero à flaua bile, atrociores et amarulen-
tiores. Quapropter etiam Hippocrates dicit, Quæ cum
risu fiunt desipientiæ, securiores sunt, quæ uero cum studio se-
rio, periculosiores, Studium atrocitatem appellans. Quæ ue-
ro ab atra bile, tristiores & taciturniores, & urbaniores.
Quæ uero à pituita, deliræ et instabiles. Et alibi idem Hip-
pocrates testatur, uelut in primo morbo popularium dicit, de
Sileno quidem quod mente motus fuerit cum risu & cantu:
De Philiste uero in 3. Morborum popul. audacem mentis
emotionem factam esse dicit, parum enim insaniuit inquit cir-
ca meridiem. Flaua enim bilis causa morbi erat. At in Cys-
zico mulierem quæ gemellas filias peperit insaniuisse dicit:
fuisse autem tristem & tetricam mentis emotæ speciem. Ta-
citurna enim erat inquit, ac tetrica, & non obsecundans.
Atra autem bilis erat morbi causa. Pythionem uero qui
iuxta

iuxta telluris templum habitabat in sania correptum, delirium
factum esse dicit. Erat autem illic causa affectionis pituitosa.
Proinde eum qui morbos curaturus est, uarietatem ipsorum
cognouisse oportet, & causas ipsorum cognouisse oportet, et
causas ipsorum antea cognoscere. Si enim quis ut Hippo-
crates dicit, causam morbi nouerit, is ea quae conducunt con-
pore adhibere poterit, ex contrarijs instans aduersus mor-
bum. Et in lib. de morbis, Qui de sanatione recte inquirere
uelit, per cuncta antiq; respondere, & contradicere recte, eum
haec animaduertere oportet. Primum quidem a quibus omnes
morbi omnibus hominibus fiunt. Cognoscuntur itaq; morbo-
rum cause, primum quidem ab aetate. Si enim adolescentulus
fuerit qui aegrotat, maxime a sanguine aegrotauerit, uelut in
superiorib. declaratum est, & deinceps similiter de alijs a-
tatibus. Secundo ab anni temporibus. Si enim uernum fue-
rit tempus, sanguis maxime est qui affligit. Tertio a uictu.
Alius enim cibus & potus, alius alios humores efficit.
Et ad ebrietates ex uino & ad crapulas, sanguineae affe-
ctiones sequuntur. Sic cognouit Hippocrates Silenum ex
potu in morbum incidisse; Et olitoris uxorem, quum menses
ipsi suppressi essent. Larga enim cibi uoracitate se expleue-
rat. Quarto a regione. Nam calida regio calidiores mor-
bos parit. Quinto a pustulis erumpentibus. Nam rubicun-
da & rotunda, sanguineae sunt; Latae uero, pituitosae; Et
aliter aliae: Quemadmodum in aphorismis ostendit, papu-
las sudorosas uere & aestate fieri dicens, uelut quae ex san-
guine & bile sint. Quin & e colore, quemadmodum humoris

B dominium

dominium, ita etiam morbi causa cognoscitur. Est autem &
hæc nibilo minus inter maximas dinotiones exactissima: &
quæ a Diogene & illius temporis sapientibus, uelut uaticis
natio quædam habita est. Multos enim illi uiri de coloribus
fecerunt sermones, iuxta differentias ipsorum, etiam mor-
bos partientes, & rubicundi coloris appellantes sanguineos:
& fului coloris, eos quibus amaræ bilis humor redundat:
& nigri coloris, eos quibus atra bilis: & albi coloris, pitui-
tosos. Morbos item in his rubicundi, & fului, & flauus, et
albi coloris appellabant, haud scio qua ratione ducti, ut
multa artis testimonia relinquerent, et illa quoque quæ
magis morbi exactam dinotionem exhibere poss-
sunt: Et solis coloribus perfectam
morbi ac debilitatis din-
otionem attribu-
rent.



Small white label on the right edge of the cover, likely a library or archival sticker.